



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

1. De Euangelio Dominicæ: De Oratione. Ioan. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

Dominica V. post Pascha.

5. Hebdom.
dom.
post
Pascha.
I.

De Oratione. Ioan. 16.

I. Inuitat Christus discipulos ad orandum, inquit: *Amen dico vobis, si quid petieritis Patre in nomine meo, dabit vobis.* Quanta dignatio diuinæ Maiestatis hominem, quoties libet, in colloquium admittentis! quanta liberalitas, quicquid petitur in nomine Filij, liberaliter largientis! Quanta vilis homuncionis illa dignitas, sic à Deo in colloquium admitti, quanta felicitas sic exaudiri! quanta porro ignavia & ingratitude, tanta gratia non crebrius nec auidius uti! Gratitude, fiducia, feruor orandi.

II. Idem orationis exercitium vehementius inculcat, simulque quid, & quomodo petendum sit, insinuat, inquit: *Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Illa nimium innuit esse petenda, quæ nos iuent ad gaudium plenum solidumque bonæ conscientiae in hac vita, & beatæ perennitatis in altera consequendum.

cuiusmodi non sunt opes, honores, voluptates, & res caducæ, nisi quatenus ad finem vltimum consequendum conferunt; sed cordis puritas, solidæ virtutes, & perfecta cum Deo, eiusque beneplacito, vnio & conformitas. Deinde hæc ipsa efficacissimè petenda à Patre per infinita Filij merita, atque etiam per paterna misericordiæ eius viscera Zelus sic orandi.

3. Eosdem ad filialem fiduciam animat, tum quod ipse Pater ipsos amet, tum quia ipse sit futurus eorum aduocatus apud Patrem, ad quem se rediturum prædicit: *Non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis, ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia ego à Deo exiui. Exiui à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* O qualis abyssus miserationum æterni Patris sic nos diligentis! qualis abyssus meritum, tota vita accumulatorum, Filij apud Patrem pro nobis interpellantis! quis sincerè Deum quærens & amans, si has abyssos viæ fidei oculis intueatur, ad filialem fiduciam non mirificè animetur? Amor, filialis fiducia.

De